1 Suppositum nō distinguitur realiter a nā, atque adeo nihil reale addit supra nām

2 Jesus, et hic hō, ostenso Jesu, de formali solum dicit nām humanam, et de materiali atque extrinsece connotat suppositum

3. Haec praedicatio, Christus est Deus, nō est essentialis

4. unio hypostatica maxime similis est unioni accidentis cum subiecto

5. verbum divinum nō magis influit in actiones humanas Christi, quam pater et spus sanctus.

6. fides explicita in Christum, et nunc, nō est ad salutem necessaria

7. Homo nō tenetur in extrema necessitate dare Eleemosynam, et si sit re et spe pauper, si bona pro Eleemosyna danda sint notabilis valoris: sufficit ... mutuo dare

8 Ad justificationem nō est necessarius actus fidei de hac propositione Deus est.

Rx. Omnes istae propositiones nō carent suis autoribus seu classicis et omnibus. quare nulla eorum necessario retractanda. Sed quia (excepta priori parte primae) seu falsae sunt, et magna ex parte obsoletae, et vix defendi possunt nisi ab [illegible] quaedam seu concedantur, omnes videntur nostris interdicendae in posterum. Haec in universum, nunc de singulis.

Propositio prima quoad posteriorem partem est quidem doctorum Scoti et nominalium. [illegible] tamen agere non defendi posse in incarnationis mysterium: quod si ipse obscurissimum est, nō debet novis inventis obscurari magis

Propositio 2a est Gabrielis, marsilij et scotistarum. Haec severius quam prima est prohibenda. tum quia iam fere recessit ab usu scholarum: tum quia valde impugnat scripturae locutiones, quae Christum dicunt esse Deum: tum etiam quia extrinseca illa suppositi connotatio valde accedit ad loquendi modum quo utebatur Nestorius

Propositio 3a idem judicium quod de secunda, et eget retractatione, nisi iam declarasset, nō negare se esse substantialem praedicationem, licet nō sit essentialis

Propositio 4a est Scoti et nominalium. Et quidem si diceret esse accidentalem unionem, qualem iam vocat Nestorius, retractanda videretur, ne cum hereticis conveniret in modo loquendi. Tolerabilius tamen est esse maxime similem unioni accidentis cum subiecto. quamvis et haec fere videatur prohibenda post hac, cum abhorreat a verbis patrum docentium esse magis similem unioni animae cum corpore, vel insitioni

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Propositio 5a. Agere vero de declaratione: nam illud (non magis influit) vel excludit diversum concursum effectivum a patre, et catholicum est; vel excludit omnem alium concursum, et vere fidei dissonat. nam in actionibus humanis verbum praeter patrem et spiritum sanctum habet suum concursum personalem per quem erat proprie principium, quod; non enim natura agit nisi supposita, ideo actiones sunt suppositorum: sed proprietate et quasi gratia data possessione humanitatis suae, sicut et in Ephesino concilio illa humanitas dicatur propria verbo, et consequenter ipsa efficientia humanitatis erat verbo propria; ita ut in actiones humanas influeret non solum hypostatica unione, sed et humanitatis affinitate sibi propria.

Propositio 6. est Scoti, Victoria, Vega contra dubensis, et aliqui defenditur in hispania, sed aliena est ab antiquis scholasticis et patribus, qui hac doctrina fidei explicita in Christo distinguunt statum Evangelii a statu legis

Propositio 7. est Covarruvias Navar. et Hadriani. Egre defenditur et dissonare videtur ab scripturis et patribus, et fovere divitum avaritiam, tam plus nimio potentem posse ipsa, quare nostris temporibus severe videtur interdicenda, nisi intelligatur de extraordinariis remediis, quae nec sibi quis tenetur exhibere

Propositio octava. est Almayni et medina de recta in Deum fide. non bene convenit cum illa sententia Pauli. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod remunerator est. licet enim quaestio sit inter theologos utrum de ista propositione nota tam scientifice possit elici actus fidei, tamen dubium esse non debet ad scientificum assensum de ista propositione concurrere et habitum fidei aliquo modo, in quo magis illum corroborat et certificat, tum quia qui credit Deum esse iustificatorem, implicite et credit Deum esse. quare adhibenda videtur hec declaratio ipsius propositionis, et nostris deinceps penitus prohibenda

Propositio de spe

Spem infusam amitti per quodcumque peccatum mortale, non est improbabile.

R. Immo improbabile, et ut minimum temerarium est, atque reprobandum

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA
DE
GRANADA

Censura quarũdam propositionum
Theologicarũ.